



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

IV. De monetariis. Li. Sax. cap. 14. Iorn. cap. 20.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

ANNO CHRISTI  
918. 120. solidorum numeratione earum eas cognati custodia liberanto, atque cognatis interfecti iustum capitum eius estimationem pendunto. Illæ vero se id genus sceleris in posterum non perpetraturas esse fideiustores adhibento. Eadem habetor incendiariorum ratio, & eorum omnium qui a iuris feueritate prædones vindicare studuerint. Imo si quis furem liberare contenderit, et si quidem nemini vulnus impresserit, regi tamen eo nomine 120. solidos numerato.

IV.

Præterea autem statuimus, ut unus per omnem ditionem nostram atque idem sit nummus, eumque nemo extra opidum cudito. Atqui si monetariorum quisquam nummos corruperit, ei manus scelere violata præciditor, atque nummaria conspicienda fabrica affigit. Sin nummi adulterati postulatus aliquis criminis suspicionem diluere voluerit, carentis ferri quæstione manum sceleris puram atque immunem ostendito. Quin si ipsa ordalii sententia reus extiterit, ita uti antea a nobis dictum est fiat.

Cantuaria monetarii septem sunt, quorum quidem quatuor regi, duo præsuli, ac unus cœnobiarachæ deseruit. In ciuitate Roffensi tres sunt: regis duo, tertius episcopi. Londini sunt monetarii octo, Vintoniaæ sex, in vico Levvisio duo, in vico Aaftingo unus, Cicestriaæ unus fit, Hamtonæ duo, Vverhamiaæ duo, Excestriaæ totidem, Schaftesbyriaæ duo, ad aliud quodque opidum monetarius unus esto.

V.

Qui se ordalii quæstione examinandum obtulerit, triduo quam id sit aggressurus, sacerdotem, ut is sacra de more peragat, adito, atque interim pane, sale, aqua, & oleribus tantummodo vescitor, Missæ præterea illis ipsis diebus interesto, munusque suum offerto. Sub ipso autem quo est ordalium ingressurus die, panem eucharisticum sumito, ac iure iurando se illius de quo appellatur sceleris purum minimeque conscienti iurato. Tum si aqua gelida facienda est quæstio, ad sesquialnam funis in aquam mergitor. Sin ferro fiat cadenti, per continuum triduum ob-signanda non resignetur manus. Accusator autem, quem-

Concil. Tom. 25.

D